Capita XII. Reformationis consideranda a Patribus proposita die XI. Martij . M. D. lxij.

1. Considerent patres que ratio iniri posset, ut Patriarchae, Archiepi. Epi et ~~cetere~~ omnes animarum curam habentes in suis ecclesijs resideant et ab eis non nisi iustis, honestis necessarijs, et ecclesiae catholicae utilibꝫ de causis absint

2. ~~ite~~ Item an expediat, ut nemo ordinetur ad sacros ordines nisi ad certum aliquem benefitij titulum, compertum est. n. multas commiti fallacias ex eo quod plerisque ad titulum Patrimonij ordinantur

3. Et quod ordinantes nihil omnino recipiant pro collatione quorumcumque ordinum neque etiam eorum ministri, aut notarij

4. An ijsdem concedendum sit, ut de prebendis non servientium possint distributiones quotidianas constituere, in illis ecclesijs in quibus nullae sunt distributiones, aut ita tenues ut negligantur

5. An Parochiae omnes quae ob suam amplitudinem plures requirunt sacerdotes, plures etiam debeant habere titulos ab ordinario instituendos.

6. Benefitia quoque curata quae idonea provisione victus sacerdotalis carent, an sint reformanda ita ut ex pluribus titulis, unus tantum ab ordinario constituatur

7. Cum Rectores Parochialium multi sint parum idonei qui vel ob imperitiam aut vitae turpitudinem destruant potius quam aedificent subiectum sibi gregem; et deteriores aliquando habeant Vicarios videndum est quomodo huic malo medendum foret, num expediret eis dari coadiutorem, sive Vicarium idoneum cum assignatione fructuum arbitrio Ordinarij

8. Ordinarijs an sit concedendum ut benefitia et capellas vetustate collapsas, quae ob paupertatem restaurari nequeant in matrices ecclesias transferre possint

UGR Biblioteca Universitaria

9. An decernendum sit beneficia commendata, etiam regularia, visitari ab ordinarijs, et corrigi

10. Matrimonia clandestina an infuturum debeant declarari irrita esse et nulla

11. Quae conditiones sint declarandae ad hoc ut matrimonium non dicatur clandestinum, sed infacie ecclesiae contractum

12. Denique magnopere considerandum esset, quid constituendum sit circa questorum non parvos abusus